



**R. P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,  
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

**Regnault, Valère <1543-1623>**

**Mogvntiæ, 1617**

Cap. 5. De solitis apponi contractibus, quæ sunt conditio, modus,  
demonstratio, & causa,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78477](#)

herc: vt donare, vendere, &c. sique non confirmare contractum, nec ei robur addere: cum non sit promissorium; sed tantum assertorium eius quod fit. Altero vero, si iures te contractus semper habiturum ratum, nec reuocaturum; & sic confirmare contractum: Qui plenius tractatam materiam hanc cupiterit, satisfacere ei Suarez poterit in tract. 4. de religione libro 1. cap. 28. & aliquot sequentibus. Poterit quoque Thomas Sanchez in Opero mo. ali lib. 3. cap. 11.

## C A P V T V .

De solitis apponi contractibus: que sunt, conditio, modus, demonstratio & causa.

## S V M M A R I V M .

- 56 Quid significetur conditionis nomine, & quibus particularis exprimatur.  
 57 Quia nomine modi, & quibus item particularis exprimatur.  
 58 Quidque nomine demonstrationis, & quid nomine causa, & quibus particularibus exprimatur.  
 59 Que conditio faciat contractum conditionalem.  
 60 Conditio quae est contra substantiam contractus, vitiariat illum redditum in validum.  
 61 Contractus cui conditio impossibilis, aut conditio turpis de futuro apponitur, non valeat.  
 62 Contractus valide sub conditione factus revocari non potest.  
 63 Modus appositus contractui, quid circa illum operetur, declaratur duobus documentis.  
 64 Documentum de demonstratione additum contractui.  
 65 Non ea et contractus factus ob causam existimatam veram, que est falsa.  
 66 Quin validus sit contractus factus ob causam, non obstat quod aliud interuenierit quo cognito non fuisse factus.  
 67 Cum principialis causa contrahendi est falsa, contractus est nullus.

**C O N D I T I O N I S** nomine in hac materia, significatur clausula contractui ad illius suspensionem adiecta, per particulam (*sunt*) aut aliam ei & equipollentem. Exemplum est si dicatur lego Titio, sifuerit Consul. Particula autem & equipollentes conditionales si (ex Sylvestro in verbo Conditionis, quest. 2.) sunt, cum, vbi, quandocumque. Nam lego Titio, cum, vel vbi, vel quandocumque fuerit Consul, eundem habet sensum, cum praecedentem exemplo. Item, (*nisi*) nam vendo tibi librum meum tanti, nisi alius hodie pluris emere velit: sensus est, alius hodie pluris emere velit, non vendo. Item (*aliоqui, a'ias*) nam scriberis mihi librum intramensem, alioqui, vel alias quartam mercedis partem perdes, paucae nomine: sensus est, si non scriberis perdes. Item, *aut, res sine, cum alterius sumuntur*. Nam relinquo praedicta mea propinquia, aut Ecclesia: sensus est, si non sint propinquae, habeat Ecclesia. Item (*quandiu*) nam lego centum Titio in annos decem, quandiu gesserit res hæreditis mei: sensus est, lego si gesserit, &c. Item (*dones*), quoque, vel dum fuerit cum filio meo, sensus est, si non fuerit cum filio meo, nō lego.

**N O M I N E A V T E M** modi, significatur clausula contractui per particulam *vt, aliam equipollentem, adiecta ad illius moderamen, per oneris impositionem, ex Syl. in codem verb. quest. 3. exemplum est*; si dicatur: *do vel lego tibi domum*, *ut hoc vel illud facias*. Particula vero & equipollentes sunt, *ex eadem in seq. quest. 4. dūmodo; nam, id ē est; do dummodo facias; do ut facias*. Item, (*ne*) nam Titium instituo heredē, ne fidei commissum ex Sempronij testamento retineat: sensus est; vt non retineat. Item *ad, pr., nam, do ad et, redicādā hospitale, vel pro et dicando hospitale; sensus est; do ut et dicetur hospitale*. Item (*in, & nomine*) nam lego titi bin redimendos captiuos, vel nomine redimēdi captiuos: sensus est, vt redimantur captivi. Differt autem modus à conditione, *ut nota glossa ad Cap. V. et un. De conditionibus ap. post. verbo, conditione: ne quod hæc suspendat contractum, ita ut non valeat nisi expleta conditione*. Modus vero adiectus contractui, non suspendat ipsum: adeo ut res contractui donata sub modo, statim debeat, sicut inquit peti possit.

**N O M I N E P O R R O** demonstrationis per tradita à Syl. in codem verbo Conditionis, quest. 6. significatur clausula ex aliquo præterito vel præsenti accidente, reddens nos certos de re qua geritur: *vt si quis leget vxori sericam vestem, quam habet in arca claua: his accidentibus demonstratur res, de qua disponitur*. Similiter, si quis vendat agrem inter hos & illos confines existentem, aut domum palatio proximum.

Nomine denique causa significatur clausula, que adiicitur contractui ad iudicandum illius causam: fitque talis adiectio per particulam *quia, vel aliam similem*, *vt lego tibi milie, quia negotia mea gesisti: ve eo quod filium meum redde institueris*. Potest autem duplex esse istiusmodi causa: quædam finalis; propter quam scilicet contractus fit: & qua non subsistente, ille non fieret: quædam vero impulsiva, ob quam nimitem facilius, vel citius, vel libenter fit contractus.

## Documenta de conditione contractui apponi solita.

## S E C T I O P R I O R .

**D E C O N D I T I O N E** notanda sunt pro præxi aliquot documenta. Primum est. Conditionem que facit contractum conditionalem, debere esse expressam: non enim sufficit tacita, ex Sylvestro in verbo Conditionis, quest. 9. per legem, Conditiones, ff. De conditionibus & demonstrationibus. Item debere apponi à principio contractus: non enim sufficit apponere post contractum; quando iam ille partium voluntate dissolvi non potest: quod Syl. habet in sequenti quest. 10. Item debere esse futuro eventu incerto, non autem de præterito, vel de præsenti, vel de futuro certo. *q. ale est, si moriar*; quia talia non suspenduntur, cum habeant esse, vel iam in actu positum, vt præterita & præsenta: vel dependens ex causis ita certis & determinatis, vt licet futura sint, in illis tamē, præsenta quodammodo censeantur, propter certitudinem proueniendi ex illis. Ita sentientes autores magno numero Thomas Sanchez referit lib. 5. De matrimonio disput. 2. numer. 1. b. neque monet num. 3. id non habere locum, si contrahentes existimarent conditionem esse appositam de futuro contingenti, quia contractus effectum conditionis de eventu in certo, tunc sortiretur, ex intentione contrahentium, conditionem apponentium, à qua conditionalis contractus penderet.

**S E C U N D U M** documentum est, *de quo adhuc idem Sylvestris in citata quest. 10. pro eo que faciunt que disputat Sanchez in sequenti disput. 9. 10. & 11. Conditionem adiectam, vitiare contractum, si ea sit contra illius substantiam: vt esse censetur, argumento Cap. Tua, Deffonsibus; quando contractus ipse non potest cum ea stare. Quo modo contra mutui substantiam est conditio, vt soluat aliquid supra principale; & contra societatis substantiam, vt lucrum & damnum non sit commune: non vitiare autem contractum, si solum sit contra illius accidentia: quia potest sine eis stare; quandoquidem sublatis accidentibus potest manere substantia.*

**T E R T I U M** docum. est. Conditionem appositam contractui, quantumvis non sit contra eius substantiam, si tamen sit impossibilis, vitiare ipsum: *vt si dicatur, lego Titium centum si manu ccelum tetigerit: nec item si sit turpis; vt si dicatur, hæredem in instituto Titium si hereticus fiat. Tamen, nam hæc, quam illa contractum reddit in validum, iuxta ilud quod de Cap. finali, De pacis, dicitur, pactum turpe, vel rei turpis aut impossibilis, de iure vel de facto nulla obligatione inducere*. Atque de impossibili est textus expensus Institutus. De hæredibus instituendis §. Impossibilis, & in legge. Non solum, ff. De obligationibus, & actionibus, vbi ratione insinuatur; quod omnium ea cogitatio sit, vt nihil agi existimetur appolita ea conditione, quam sciant esse impossibilem. Et certe talis conditio cuiuscumque temporis sit, signum est manifestum, nō adesse consensum ferium in contractu; sed potius dissensum, dum consensus suspenditur per illud quod est impossibile. Nec obstat quod forte conditio paretur possibilis; quia licet tunc consensus serius sit: tamen suspenditur à conditione, que nec exitit, nec exabit. Neq; inde oritur alia obligatio (ne peccetur contra conscientiam) quā expectandi eventum, donec conditionem impossibile esse

scitur. Eo autem cogito cessabit talis obligatio quae a parte rei ab initio nulla fuit.

De conditione autem turpi cur irriteret contractum ratio, huc redditur quod cum turpis conditio, contractui communiter adiciatur ut implatur, si ille valeret, adstringeret, aut saltem alliceret directe ad peccatum: quod aperte alienum est ratione. Unde & intelligitur talem conditionem debere esse de futuro, cu ad praeteritum aut iam praesens, nemo alliciatur. Indeque porro fit, ut contractus valeat factus sub conditione de peccato praterito, aut praesenti: vt, do tibi agrum meum quia fuisti, aut quia es hereticus. Nam ea non adstringit, nec allicit ad peccatum faciendum, quod supponit iam fieri, aut factum esse. Quam doctrinam aliquot authoribus citatis habet Thomas Sanchez lib. 5. De matrimonio disput. 15. num. 5., & aliquanto plenius Leoninus Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 18. dubit. 15. num. 12.

**62.** Q U A R T U M documentum est. Contractum sub conditione validum factum, reuocari non posse: non quidem conditione adhuc pendente, quia expectari debet eventus illius, quandiu cessat ingratiitudo, & alia quævis sufficiens causa reuocandi: nec item conditione adimpta, quia tunc contractus cessante suspensiōne, ex conditionali sit merus & absolutus, & ideo effectum obligandi soritur, omni impedimento, quod obstabat, sublato. Ceterum difficultas est an hoc ipsum contingat, cum ab altero tantum ex contrahentibus conditio apposita fuerit contractui. De qua re quatuor sententias (citatibus variis authoribus) refutat Sanchez De matrimonio lib. 5. disput. 13. Possumus in praxi tenere cum eodem, contractum vitari per diuersitatem in consensu, quæ contingit quando unus pure & absolute consentit, & alter solum sub conditione, ex lege i. §. Si quis similiter, ff. De verborum obligationibus. Et ratio est quia consensus tunc non vniuntur inter se, ideo que non oritur ex illis contractus consistens in actione minimum inter duos, mutuo consensu inita.

Documenta de ceteris contractuis  
apponi solitis.

SECTIO POSTERIOR.

**63.** P R I M U M EST (pro quo sequuntur quæ habet Sanchez in sequenti disput. 19. à num. 5.) Modum contrarium substantiae contractus cui apponitur, cum annullare, patet, quia contrahens sub modo, obligatur ad eundem seruandum: qui sit contra substantiam contractus, consequenter est illius destructionis, atque adeo illum annullat. Modum autem impossibilem aut turpem haberi pro non apposito: ideoque non vitiare contractum cui apponitur: conuenientem sententiam esse tradit L. Molina de iust. & iure tract. 2. disput. 20. versu, Modus impossibilis. Et ratio est, quia modus non suspendit contractus dispositionem, sicut conditio: sed eam presupponit perfectam & validam.

S E C U N D U M documentum est: an valeat contractus factus sub modo possibili & licto, intelligentem esse, iuxta eaque consequenter addit Molina, ex apponentium intentione, aliquando est tantum alliciens alterum ad talem modum implendum, præbendique illi ad motinum: vt si quis dicat, Do tibi libram meum, ea lege, vt illum legas. Aliquando vero est quidem obligandi ad modum ipsum seruandum, sed absque impositione oneris, vt si ille non implatur, contractus eo ipso revocetur. Aliquando denique est & obligandi ad modum seruandum, & impogendi onus, vt si ille non serueretur, contractus sit nullus; vt si quis dicat, Legi domum Titio: sed ea lege, vt Caio soluat centum quæ debeo. Cum igitur hæc ita sint, & secundum intentionem contrahentium valeat contractus: pro documento tenendum est: Modo apposito non subsecuto, valere contractum in primo illo & secundo casu: non autem in hoc tertio.

T E R T I U M documentum est, de quo iuxta legem, Quintus Mutius, ff. De auro & argento, Sylvestris in verb. Conditio, quæst. 7. Quæ documque per verba præcedentia appetit de e donata, etiamsi demonstratio adiecta in donatione falsa sit, donationem ipsam ex tali falsitate non reddi irritam. Exemplum est, si quis dicat, Dono uxori vestem meam purpuream quæ ipsius causa facta est: valet enim donatione etiamsi

vestis non fuerit facta ipsius causa: quia ex verbis precedentibus constat tam de re donata, quam de voluntate donantis. Quando vero nihil de re donata constat (quia nimis nulla est) donationem reddi irritam: vt si quis dicat, Dono uxori vestem, quæ ipsius causa parata est, & nulla est parata. Alla exempla vide apud eundem authorem.

Q U A R T U M documentum est, de quo, ac sequenti Lud. Molina in cod. tract. 2. disput. 20. Si quis contrahat principaliter ob causam existimatam subsistere; sed non subsistente seu falsa, animum habens contrahendi feque obligandi tantummodo tali causa existente vera, contractum non obligare in conscientia; si eadem causa sit falsa, ita in de acceptum, sit in conscientia restituendum. Idque ex Nuñarro, n Enchir. cap. 18. num. 6, siue causam apponens, eum animum suum exprimat, siue taceat. Ratio vero documentis est, quod in contractibus obligatio pendeat omnino a voluntate contrahentium: quæ cum est sub conditione, nulla esse censetur quoque hæc aduenerit; proprium est enim conditionis suspendere & cum, seu impedit ne effectum sortiatur, donec ipsa compleatur. Iam vero in casu proposito voluntas contrahendi conditionalis est: nempe si causa ob quam contrahitur, sit vera. Quare eadem existente falsa, non adegit voluntas contrahendi: ac proinde contractus taliter factus inutilis est, nec inducit obligationem. Aduerteret tamen cum eadem Molina versu Hoc loco, in tantum procedere, quando quis ita esset animo affectus, vt si sciret causam non subsistere, non modo nollet contrahere, sed etiam vellet taliter factum contractum esse nullum. Nam si esset eo animo, vt nollet quidem contrahere tali causa non subsistente: sed tamen post factum contractum vellet omnino eiflare, si fiat, tanquam sufficienter voluntarius, censetur validus.

Q U I N T U M documentum est, quod Molina ibidem addit his verbis. Quando cause quæ ad gratuito disponendum impulerunt, vera sunt: quamvis aliquid aliud latuerit disponentem, quod si sciueret, non solum non ita dispositum, sed etiam volueret, vt talis dispositio nulla esset; ea virtute valida est. Probatur, quia voluntas gratuito disponentis, fundatur in iis, quibus ducitur ad tali modo disponendum: ita ut illis subsistentibus dispositio ipsa sit voluntaria, & sufficiens ad dominium transferendum. Neque obstat ignorantia aliorum, quæ si cognouisset, non dispositum. Si enim vt dispositio censetur valida, necepsit disponentem uniuersum penetrare omnia, quæ ipsum à tali dispositione retrahere poterant: nullus fere accipiens aliquid gratuita dispositione, tutus esset in conscientia: vt ipse qui iniuste imposset, circumstantiam aliquam circa mores suos, aut circa aliud, disponentem latuisse; quam sciens non haberet minimum eo modo disponendi. Si quis igitur motus ex sola paupertate alicuius vere pauperis, donavit aliquam elemosynam, valida est donatio, quamvis latuerit ipsum circumstantiam, vt, talis donatarium esse perditis moribus aut hereticum) quam si sciueret non modo non donasset, sed etiam factum donationem vellet esse nullam.

S E X T U M documentum est. Si principalis causa finalis disponendi sit falsa, dispositionem esse nullam. Ratio est: quia talis causa tacite continet conditionem hanc. Si res ita sit. In qua conditione innititur totum ius repetendi indebitum solutum, de quo est titulus tū Digestis, tum Codice, De conditione indebitum. Vnde sequitur illud quod habet Medina in C. De rebus refut. q. 24. ad 5. fingentem se infirmū aut sanctum & piū, vt extorqueret clementiam eleemosynam ab eo qui alio nomine non erat datus, donationem ei factam esse nullam: atque sic acceptum esse restituendum. Quod intellige nisi esset alias debita ob veram causam, vt cum fingens premitur summa clementia, aut cum non potest aliter recuperare sibi iuste debitum. Esti enim peccet mentiendo, non interficere in iuriuum danti, à quo nihil accepit, quin teneatur dare. Quod si quis vere pauper esset, & petens elemosynā, vt facilius impetraret, singulare infirmū, aut piū, aut co-sanguineū, etiam si peccet fingendo: potest tamen remittere quod ei datum est ad reuelandam paupertatem: quia vere laborat: quia cetera causa facta non sunt principales, sed hominem impulsus, (vt supponimus) ob quas non est datum, sed solummodo facilius aut citius datum.

CAPUT